HEINRICUS SEXTUS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORUM IMPERATOR ET SEMPER AUGUSTUS.

Decus regni firmum et ad temporalis imperii incrementum apud regem regum nobis proficere non ambigimus, si ecclesias dei ab indebita oppressione protegendo salubriter providemus. Universis itaque imperii nostri fidelibus tam presentibus quam post futuris notum esse volumus, quod nos divine remunerationis intuitu monasterium dona in honore beate marie virginis prope clavennam constructum cum personis inibi deo famulantibus et universis bonis ei attinentibus in nostre maiestatis protectionem accepimus, videlicet tam in pratis, pascuis, piscationibus, silvis, alpibus, molendinis, aqueductibus, magris et universis que usui hominum sunt necessaria. Ipsi universa que nunc habet vel inposterum iusto aquisitionis sive donationis titulo imperatorum sive regum seu etiam cuiuslibet conditionis hominum adipisci poterit, imperialis dignitatis auctoritate confirmamus. Statuimus itaque et imperialis maiestatis iussione districte inhibemus, ne quis persona prescriptum monasterium cum personis et universis bonis attinentibus molestare, infestare vel aliquomodo audeat aggravare. Siquis vero contra hanc nostram constitutionem ausu temerario eidem monasterio et fratribus molestias vel aliquid iniuriarum gravamen presumpserit irrogare, ipse reus lese maiestatis pro pena decem libras auri componat, quarum una medietas camere nostre, altera vero prenominato monasterio et fratribus iniuriam passis persolvatur. Ut autem hec nostre maiestatis constitutio in omne evum rata et inconvulsa permaneat, presentem paginam inde conscriptam sigillo nostre maiestatis insigniri et hos testes iussimus ascribi: Heinricus comes de hoghanden. Comes albertus de kalinue. Rubertus de durnen. Heinricus marscalcus de kalandin. Heinricus pincerna de lutra.

Dat. apud clavennam anno domini M. C. XCII. Indictione X. tertio id. decembris.

Ego Iuvostinus de plurio notarius autenticum huius exempli vidi et legi et ut in eo continebatur ita in isto h. exemplo preter litteras vel sillabas plus minusve et me subscripsi et firmavi.

Ego Guido de Saxo iudex domini henrici imperatoris autenticum huius exempli vidi et legi et ut in eo continebatur preter in isto legitur exemplo preter litteras vel sillabas plus minusve et subscripsi et firmavi ut potui.

Ego Tatelanus de menaxio notarius sacri palatii hoc exemplum ex autentico exemplavi et sicut in eo continebatur ita et in isto legitur exemplo nil minus preter litteras vel sillabas plus minusve scripsi.

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.
Morbio 16 (22)
14731

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1764707427-14/fragment/page=0001
DFG

Morbio 16 (22)
Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1764707427-14/fragment/page=0002